

dexteræ enim vocabulo, non corporis pars aliqua, sed honoris æqualitas, intelligitur.

3^o. Sensus *mysticus* triplex assignatur, nempe *Allegoricus*, *Tropologicus*, et *Anagogicus*. *Allegoricus* dicitur, cum res sub lege veteri gestæ accipiuntur ut eorum figuræ, quæ in novâ lege futura erant; v. g. cum Isaac usque ad sacrificiî locum propriis humeris lignum portavit, *passionis* Christi mysterium adumbrabat. Sensus *tropologicus*, sive *moralis* est, quando res Scripturæ verbis expressa, ad significationem alterius transfertur, quæ ad mores pertineat: exempli gratiâ, ista Deuteronomii verba: *Non alligabis os bovi trituranti*, (cap. 25.) ad eum detorquetur sensum, quod mercede suâ dignus sit operarius, ut exponit Apostolus (1. Cor. 9.) Sensus *anagogicus* est, cum verba et facta ad cœlestium significationem referuntur, mentemque erigunt. Sic Apostolus ista Psalmi 94 verba: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, quæ ad litteram de terrâ promissionis, dicta sunt, de vitâ æternâ intelligit. (Hebr. 4.)

4^o. Unius ejusdemque loci multiplex esse potest sensus litteralis. Deus enim una eademque Scripturæ littera plura aliquando significare voluit, ut ex Scripturis manifestum est. Sic v. g. quod præceptum erat de Agno Paschali, *Nec os illius confringentis*, (Exod. 12. 46.) id pronuntiat Joannes, etiam de Christo dictum esse, qui in cruce immolatus est non confractis cruribus. Sic etiam quod de populo Judaico legitur: *Ex Egypto vocavi Filium meum*, (Ose. 1. 2.) tanquam de Christo dictum refert S. Matthæus. (Cap. 2. 15.)

Quæres, ex quo Scripturæ sensu Theologia possit certum deducere argumentum.

Resp. ex solo sensu *litterali*, non autem *mystico*, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ vel Traditionis autoritate nitatur, aut ex ipsa serie

Textûs sacri certò colligatur: ratio est, quod sensus mysticos quandoque pro suo quisque ingenio ac pietate cudit; et quo jure ab uno excogitantur, eodem possunt ab altero contemni. Hinc S. Hieronymus sic monet: *Nunquam parabola et dubia enigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* (In cap. 3. Matth.) Et Augustinus: *Quis non imprudentissime nitatur aliquid in allegoriâ positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura.* (Ep. 93. ad Vincentium Donatistam.)

Si tamen sensus mysticus ab Ecclesiâ proponeretur, aut Scripturæ et Traditionis autoritate niteretur, aut ex ipsa textûs serie aperte colligeretur, tum firmissimum Theologa subministraret argumentum; quia certum est sensum illum mysticum à Spiritu Sancto fuisse incertum.

CAPUT VII.

De Lectione Scripturæ sacræ.

QUÆRES utrum ad populum fidelem, sine ullo sexûs et conditionis discrimine, pertineat sacræ Scripturæ lectio.

Resp. Rem ita esse plurimis demonstratur argumentis.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Judæorum exemplo.

Præter publicas lectiones, quæ in Synagogis quolibet die Sabbati fieri consueverant, aliæ erant privatae. Hoc scilicet fuit apud Judæos in more positum, ut Reges ipsi Legem divinam propriâ manu exararent, quo insingeretur altius, et nun-

quàm, si fieri posset elaberetur. Postquam sedevit Rex in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum. (Deut. 17. v. 18 et 19.)

Hanc vero legem ad omnes Judæos spectare asserit doctissimus Morinus, Rabinorum testimonio fretus: *Quicumque Judæus, inquit, tenetur manu propriâ librum Legis sibi describere, aut ut sibi describatur procurare. Vulgatum enim est et antiquissimum apud Judæos illud axioma PRÆCEPTUM EST AFFIRMATIVUM OMNI ISRAELITÆ FACTUM, UT SCRIBAT LIBRUM LEGIS PRO SE IPSO Saltem igitur Pentateuchus, seu Libri Mosis erant in omnium Judæorum manibus. (Exercit. Bibl. lib. 2. cap. 1. pag. 465 et 466. n. 6 et 7.)*

Hic facile esset plurima eruditorum testimonia proferre. Instar omnium erit clarissimus Bossuet, cujus ista sunt verba: *Il n'y avoit point d'autre livre (præter libros legis Mosaicæ) où l'on étudiât les préceptes de la bonne vie. Il falloit le feuilleter et le méditer nuit et jour, en recueillir les sentences, les avoir toujours devant les yeux. C'étoit là que les enfans apprenoient à lire ainsi elle devoit être entre les mains de tout le monde. (Discours sur l'Histoire Universelle, 1. part. p. 220 et 221. 3. édit. in-12., Paris 1703.)*

Porrò si Judæorum vulgus sacros codices legere et meditari potuit, imò debuit, eadem profectò libertas, idem jus ad populum Christianum pertinet. Numquid mulieris liberæ filiis minus erit privilegii, quàm filijs servæ?

ARGUMENTUM II.

Ex Litterarum Apostolicarum inscriptione.

Sancti Pauli epistolæ non Episcopis, non Presbyteris, non doctoribus tantum inscribuntur, sed omnibus generatim fidelibus. Epistolæ ad Romanos præfigitur hæc inscriptio: *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Prima ad Corinthios hunc habet titulum: *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, . . . cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi.* Epistolæ ad Ephesios et ad Colossenses his verbis incipiunt: *Omnibus sanctis qui sunt Ephesi et fidelibus in Christo Jesu — eis qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu.* Idem fere est ceterarum exordium. Suas pariter alii Apostoli litteras ad omnes generatim fideles mittunt, sine ullo personarum et conditionum discrimine. Porro unicuique licitum erat epistolæ legere omnibus missas: atqui Apostolorum epistolæ omnibus mittuntur; ergo, etc. *Memento*, inquit Augustinus, *Apostolicas Epistolas non eis tantum scriptas qui tempore illo quo scribebantur audiebant, sed etiam nobis. (Lib. 1. contra Crescon. cap. 9 n. 12. p. 395. tom. 9.)*

Quod vero de litteris Apostolicis diximus, id etiam et multo magis intelligendum est de sancto Evangelio, quod proprius est Christianorum liber, ubi stylo simplici exponuntur vita, mysteria, doctrina et miracula Christi, quem, veluti Doctorem nostrum et Magistrum, audire sic jubet Pater cælestis: *ipsum audite. (Matth. 17. 5.)* id etiam de Scriptura generatim sentiendum est, dicente Apostolo: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. (Rom. 15.)*

ARGUMENTUM III.

Ex Patribus Græcis.

Fideles sic alloquitur Origenes: *Optamus ut operam detis, non solum in Ecclesia, audire verba Dei; sed et in domibus vestris exerceri et meditari in lege Domini die ac nocte.* (Homil. 9. in levit. n. 5.) Sanctus Ephrem: *Quemadmodum corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit; ita et anima, nisi spiritali alimento reficiatur, mortua est. . . . nutri et fove illam in verbis divinis. . . . in lectionibus sacrarum Scripturarum.* (Sermo de compunct. et sal. animæ p. 118. col. 2. edit. Vossii) Sanctus Basilius Scripturam omnem eo fine à Spiritu Sancto dictatam asserit, ut, in ea, velut in communi animarum curandarum officina, nos omnes quotquot sumus homines, ad nostrum morbum sanandum medelam seligere possimus. (Homil. in Psal. 1. n. 1.)

Sed in commendanda Scripturæ lectione nullus Chrysostomo eloquentior, nullus studiosior. In his Apostoli vocibus, *Verbum Christi habitat abundanter in vobis, hortationem videt, quâ Fideles ad Scripturam diligenter legendam excitentur: Audite, inquit, quicumque estis mundani, et uxori præestis et liberis, quomodo vobis quoque maxime mandet legere Scripturas, et non leviter; sed magno studio ac diligentia. . . . hæc est omnium malorum causa nescire Scripturas.* (Homil. 9. in Epist. ad Coloss. n. 1.) Sanctus Doctor eos reprehendit, qui Scripturæ obscuritatem obtundunt, ut ab ea legenda absterneant: *Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia, quamquam fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores.* (Serm. 3. de Lazaro, n. 2.) Rationem hanc affert, quod Spiritus Sanctus omnium captui Scripturas attemperaverit, ut opifices, pastores, caprarii, idiotæ per hos libros salvi ferent. . . ut

et omnium indoctissimus ex ea lectione aliquid lucri reportaret. (Ibid.)

In iis locis innumerisque aliis, omnes sine ullo discrimine Christianos hortantur Patres Græci, ut sacros Codices assidue legant et meditentur; ut cœlesti hoc cibo suas animas reficiant, ipsarumque morbis et vulneribus medeantur; docent nullum esse, quamvis indoctissimum, qui ex ea lectione plurimum utilitatis percipere non possit. Namquid vero ita locuti fuissent, si divinarum voluminum lectionem ad fideles imperitos non pertinere existimassent?

ARGUMENTUM IV.

Ex Patribus Latinis.

Sanctus Hieronymus scribens ad Gaudentium, qui filiam suam adhuc puellulam virginitati destinaverat, eum monet curare, ut cum septennium attigerit, sacris litteris memoriter ediscendis operam det: *discat memoriter Psalterium, et usque ad annos pueritatis Libros Salomonis, Evangelia, Apostolos et Prophetas, sui cordis thesaurum faciat.* (Epist. 98.) Testatur etiam se crebrius admonuisse sanctam Paulam, ne diutius lacrymaretur, sed parceret oculis, et eos servaret evangelicæ lectioni. (Ep. 86. ad Eustochium. pag. 678.) Omnes, inquit Sanctus Ambrosius, *ædificat Scriptura; in ea invenit unusquisque quo vulnera sua curet.* (In Psal. 48. n. 5.) Sanctus Augustinus variis in locis asserit, non doctrinam tantum Scripturæ omni hominum generi congruere, sed et ipsam dicendi formam omni ætati, conditioni, sexui esse attemperatam. Quapropter omnes Fideles ad eam legendam sic hortatur: *Omissis, et repudiatis nugis theatricis et poëticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione poscamus animum.* (Lib. de vera Relig. cap. 51. n. 100.) Pariter Gregorius

Magnus Scripturam omnibus accommodatam esse affirmat, tum in Epist. ad Sanctum Leandrum, tum in Præfat. Lib. Moral. et ad eam meditantam omnes sic exstimulat: *Studete, quæso, fratres carissimi, Dei verba meditari: nolite despiciere scripta nostri Redemptoris, quæ ad nos missa sunt.* (Lib. 11. Homil. 3. in Ezech. n. 18.) Alia multo plura Patrum testimonia omittimus.

Eodem, quo Gregorius Magnus, studio incensus Pius VI. qui Ecclesiæ gubernaculum sapienter tenet, suos Apostolicæ Sede dignissimos sensus exhibet in Diplomate Pontificio XVI, calend. April. an. 1778. in eo D. Martini, quod Vetus Testamentum in linguam Italicam transtulerit, his verbis laudat: *In tanta librorum colluvie, qui Catholicam Religionem teterrime oppugnant, et tanta cum animarum pernicie per manus etiam imperitorum circumferuntur, optime sentis, si Christi fideles ad lectionem divinarum litterarum magnopere excitandos existimas. Illi enim sunt fontes uberrimi qui cuique patere debent, ad hauriendam et morum et doctrinæ sanctitatem, depulsis erroribus qui his corruptis temporibus late disseminantur. Quod abs te opportune factum affirmas, cum easdem divinas litteras ad captum cujusque vernaculo sermone reddidas, in lucem emisisti. tuam igitur non ignotam doctrinam cum eximia pietate conjunctam colaudamus, et tibi de hisce libris, quos ad nos transmittendos curasti, gratias quas debemus agimus. . . .*

ARGUMENTUM V.

Ex Scripturæ characteribus.

1°. Scriptura sacra exhibetur à Patribus, tanquam littera Creatoris ad creaturam, Dei ad hominem. *Peregrinamur, inquit Augustinus, suspiramus, gemimus, venerunt ad nos litteræ de patria*

nostra, ipsas vobis recitamus. (Enarrat. in Psal. 149. n. 5. p. 1686. tom. 4.) Hanc Scripturæ notionem eximie evolvit Sanctus Gregorius Magnus, ad Medicum nomine Theodorum, sibi amicissimum scribens: *Quid est Scriptura Sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam! et certe sicubi esset gloria vestra, et scripta terreni Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator Cæli, Dominus hominum et Angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, et tamen, gloriose filii, easdem epistolas ardentem legere negligis. Stude ergo, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare.* (Epist. lib. 4. indict. 12. epist. 31.)

Porro jus habent fideles eos legendi libros, qui sunt veluti litteræ à Deo sibi conscriptæ: atqui juxta Sanctos Patres, sacri Codices sunt quasi litteræ hominibus à Deo scriptæ; ergo, etc.

2°. Ipsum Novi Testamenti nomen eò spectat, ut illud consideremus tanquam Patris nostri cælestis testamentum, quod suum erga nos tenerimus amorem ostendit; quo edocemur quid Christus pro salute nostra fecerit, et passus fuerit; in quo continentur ultimæ illius voluntates, et conditiones nobis impositæ, ut hæreditatem nobis ejus morte acquisitam obtineamus. Quid autem filiis Dei magis congruit, quam tanti, tamque beneficii parentis testamentum legere et crebro relegere, assidueque meditari?

3°. Scriptura dicitur lucerna nobis à Deo præparata, ut ea prælucente, tutissimam inter densissimas hujus mundi tenebras viam ineamus, et scopulos quibus undique circumcingimur, declinemus. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (Psal. 118. v. 105.) Hinc unumquemque fidelem sic hortatur Sanctus Ambrosius: *Lucent tibi semper lucerna verbum Dei. . . . multæ foveæ, multi scopuli in istius seculi caligine non videntur. Præ-*

fer tibi lucernam quam Propheta monstravit si membra corporis nostri sine luce operari recte nequeunt quanto magis ad verbi lumen dirigenda sunt animæ nostræ vestigia , atque mentis incensus ! (*Serm. 14. in Psal. 118. n. 7. 11 et 12. tom. 1. p. 1142. et seq.*)

4°. Scriptura est regula ad quam suos actus accommodare debent omnes Christiani , cui obtemperaturum se baptisatus quisque promisit , ex qua judicandus est à Christo *Sermo quem locus sum* , inquit , *ille judicabit eum in novissimo die.* (*Joan. 12. 48.*) Unde sic monet Autor inter S. Basilii opera recensitus : *Verba Scripturæ divinitus inspiratæ pro tribunali Christi sistuntur itaque iis quæ à Scriptura dicuntur diligenter attendamus.* (*in Appendice tom. 1. pag. 362.*) Quisquis Ordine Religiosi regulam professus est , eam attente legere et meditari debet , ne qua in parte ipsam offendat ; quanto igitur diligentius fideles , qui ipsius Christi Religioni suum nomen dederunt , divini illius legislatoris legem cognoscere , et præ oculis semper habere tenentur , ut in ea tanquam in speculo , inspiciant quales sint aut esse debeant. *Scriptura sacra* , inquit Augustinus , *sit tibi tanquam speculum.* (*Serm. 49. n. 5. pag. 273. tom. 5.*)

5°. Divina eloquia dicuntur à Patribus Christianorum cibus , et saluberrima pascua quibus suas oves Christus saginat. *Bona pascua* , inquit S. Ambrosius , *libri sunt Scripturarum cælestium , in quibus quotidiana lectione pascimur , in quibus recreamur ac reficimur his pascuis grex Domini saginatur.* (*Serm. 14. in Psal. 118. n. 2. tom. 1. pag. 1140.*) Nodum ergo fideles à pinguis illis pascuis accendi sunt , ut iis frequenter utantur excitandi sunt ; quod ita præstat idem Doctor : *Et tu ergo ede Scripturarum cælestium cibos , et ede ut permaneat tibi in vitam æternam ; et ede quotidie ut non esurias ; ede ut replearis ; spirituales epule non obesse solent , sed prodesse satiat.* (*Ibid. serm. 22. num. 19.*)

6°. Scripturam sacram vocant sancti Patres *medicinæ officinam* in qua appositum suæ infirmitati medicamentum quisque invenire poterit. (*S. Basil. Ep. 1. ad Gregor. Nazianz.*) *Creator noster* , inquit S. Ephrem , *sacras nobis donavit Scripturas , velut armamentaria atque thesauros medicamentorum.* (*De Patient. et Compunct. p. 129. col. 1. edit. Vossii. an. 1619.*) *Omnis morbus animi* , ait Sanctus Augustinus , *habet in Scripturis medicamentum suum :* (*Concion. 1. in Psal. 36. n. 3. p. 259. tom. 4.*) Quis autem ægros , variisque morbis laborantes velit efficacibus his remediis fraudare , quæ sacris in Codicibus divina bonitas recondidit ?

7°. Tandem Scriptura , et maxime Evangelium , à Sancto Augustino , *Os Christi* dicitur : *Os Christi Evangelium est.* (*Serm. 85. cap. 1. pag. 453. tom. 5.*) Porro si Christus adhuc in terris degeret , et inter homines versaretur , quantum in Christianis esset ardoris ad excipienda ipsius documenta ! ne eum adirent laici , mulieres , infantes , quis impedire auderet ! atqui *in Cælo* quidem sedet Christus , inquit Augustinus , *sed in terra loqui non cessat.* (*Ibid.*) Unde sic concludit S. Doctor : *Nos itaque sic audiamus Evangelium , quasi præsentem Dominum ; nec dicamus , ò illi felices qui eum videre potuerunt ! quod enim pretiosum sonabat de ore Domini , et propter nos scriptum est , et nobis servatum.* (*Tract. 30. in Joan. n. 1. pag. 516. tom. 3. part. 2.*)

Scholium.

Cùm lectitandæ Scripturæ jus ad populum fidelem pertinere diximus , absit ut existimetur omnes indiscriminatim Scripturæ partes ab omnibus et singulis , quovis modo comparatis , legendas esse. Ad sacrorum voluminum lectionem dum excitantur Christiani , simul admoneri debent quo mentis affectu , quo consilio iis operam dare

debeant. Commonendi sunt 1^o. legendas non esse Scripturas, nisi in versionibus Catholicis, eaque mente, ut salutis suæ negotium promoveant; 2^o. ad istam lectionem afferenda esse intentionem rectam, animum humilem, cor docile; 3^o. à *Patre luminum*, eam quæ indigent postulandam esse intelligentiam; 4^o. nefas esse sacros Codices proprio iudicio interpretari, sed reverenter audiendam esse Ecclesiam, in exponendo Scripturarum sensu falli nesciam; 5^o. eas non esse, tanquam libros vulgares, legendas, sed cum illa veneratione quæ Dei verbo debetur; 6^o. non sine aliquo discrimine, nec cæco impetu in quaslibet Scripturæ partes esse irruendum; sed eas seligendas, quæ ipsorum conditioni et ingenio magis accommodatæ sunt. Cùm autem ad eum delectum multi non sint idonei, consulant peritos animarum moderatores, à quibus discant quas partes, præ aliis, legere debeant.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Nimiam esse Scripturarum obscuritatem, quam ut eas intelligere queat vulgus fidelium, ac proinde ipsi prohibendam esse sacrorum Codicum lectionem.

Resp. 1^o. rationem hanc jam dudum à Patribus et maxime à Sancto Chrysostomo profligatam fuisse. Sanctus ille Doctor sui temporis laicos refellit, qui, ut suam in legendis Scripturis negligentiam excusarent, ipsarum obscuritatem allegabant. *Quid igitur, inquit, si non intelligamus ea quæ continentur ibris (sacris)!* (*Concion. 3. de Lazaro, n. 2. tom. 1. pag. 739. nov. edit.*)

Respondet. *Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.* Inter enim verbum Dei et sermones hominum illud est discriminis, quod ex iis quæ docent homines nullus percipi queat fructus, nisi intelligantur; verbum autem Dei iis etiam prosit, qui ipsius

ipsius sensum non assequuntur; modò quod illis absconditum est summà veneratione prosequantur, donec hujus intelligentiam dare Spiritui Sancto placuerit.

Respondet 2^o. *Fieri non potest ut omnia ex æquo ignores...*; cui enim non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt? quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundo corde, ceteraque ejusmodi, egebit præceptore, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur! Undè concludit difficultatem hanc non esse nisi prætextum, causationem et pigritiæ velamentum. (*Ibid. n. 3. pag. 739 et 740.*)

Respondet 3^o. Si in legenda Scriptura eam, quæ par est, diligentiam adhibeant, Deum ipsis non defuturum, et quæ mentis aciem fugiunt, vel per se, vel per alios esse revelaturum. *Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiolem, vade ad Doctorem, ... declara vehemens studium; et si viderit te Deus tantam animi alacritatem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac sollicitudinem. Verùm etiamsi nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit.* Deindè proponit exemplum Eunuchi Reginæ Egyptiorum, *Qui cùm... non intelligeret quæ legebat, ... misit illi Deus Doctorem illicò: verùm non adest Philippus; sed spiritus qui moverat Philippum, adest.* (*Ibid.*)

Obj. 2^o. è fidelibus multos esse qui, Scripturis suam in perniciem abutantur; ab earum igitur lectione generatim prohibendi sunt.

Resp. Non pauci quidem Scripturis abutantur, sed corrigendi sunt, quantum fieri potest, abusus; non autem re adeò sanctà et utilis imà fraudandì ceteri fideles. Nullum quippè est bonum, quod suum in exitium aliquando non vertat humana perversitas. Optimè noverat Christus, ex iis qui illum audiebant, multos esse qui ipsius documenta suam in perniciem, propriæ voluntatis vitio, conver-

terent: numquid idcirco palam docere desiit? Nonne, ait Apostolus, *aliis quidem odor mortis sumus in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam!* (2. Cor. 2. 16.) Atqui tamen non ideò Evangelium omnibus in locis annuntiare cessarunt Apostoli. Sacramenta, licet tanquam gratiæ fontes instituta, innumeris sacrilegiis occasionem præbent. Quot modis violatur templorum sanctitas? Quotplex augustissimo Missæ Sacrificio, et sanctissimæ quæ immolatur victimæ quotidie fit injuria, dum multi sine ullo pietatis sensu sacris intersunt?

His aliisque corruptelis vehementer affligitur et ingemit Ecclesia: nequaquam verò fidelium multitudinè interdicat templorum ingressu, Sacramentorum usu; nequaquam prohibet ne Christianorum vulgus sacris intersit, neque ab iis exigit, ut Pastorum licentiam postulent. Pariter, quamvis temerarii quidam homines Scripturas malos in usus detorqueant, non ideò censuit Ecclesia suis indiscriminatim filiis interdicendam esse sacrarum voluminum lectionem, quæ novit fuisse ad nostram doctrinam à Deo inspirata.

Obj. 3°. Verum quidem est ad Concilium usque Tridentinum, singulis fidelibus licitum fuisse Scripturam sacram in lingua vulgari legere; verum ab illius Concilii tempore, immutata fuit eà de re Ecclesiæ disciplina. Quarta enim regula pravorum librorum Indici annexa, vetat ne quis vernaculam Bibliorum versionem legat sine Parochi vel Confessarii licentia et consilio: *Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumperit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.*

Resp. 1°. Concilium Tridentinum adversus Scripturarum in idiomate vernaculo lectionem nihil statuisse. Nonnulli quidem Episcopi Itali postularunt, ut de prohibenda fidelibus hac lectione decretum à Concilio emitteretur; sed aliter ceteris Patribus visum est, ut constat ex ipsa Palavicini

historiæ. (Tom. 1. lib. 6. cap. 12. n. 2. edit. Antwerp. 1670.) Cum animadverterit sacra Synodus, inquit Patres, hoc tempore suspectorum et perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, numerum nimis excrevisse, censuit ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam Synodum suo tempore referrent. (Ses. 18. Decret. de Libror. delectu.) Delecti illi Patres suspectorum et perniciosorum librorum Indicem texuerunt, qui prolatus fuit in Ses. 25 die ultimâ Concilii. Cum verò non potuerit sancta Synodus, ob temporis angustias, opus illud expendere, rem totam Summi Pontificis judicio permisit; illum igitur Indicem regulasque ipsi adjunctas non examinavit Concilium Tridentinum.

Resp. 2°. ad quartam Indicis regulam nequicquam confugere adversarios, ut variis compertum est rationibus.

1°. Ista regula, non Concilii, sed Romani Pontificis autoritate nititur. Enimverò Synodus Tridentina Romani Pontificis judicio non permisit nisi Indicem librorum suspectorum et perniciosorum, quibus doctrina impura continetur. Quis autem inter hujusmodi libros numerare ausit vernaculam Bibliorum versionem, ab Episcopis præsertim approbatam?

Hinc Pater Veron Jesuita, qui inter Scriptores Polemicos (Controversistes) illustrem tenet locum, quæstionem hanc sibi proponit: *S'il est besoin de quelque congé ou faculté particulière, au moins aux artisans et aux femmes, ou autres simples fideles, pour lire la Bible; ou si le simple peuple, même les femmes, le peuvent lire sans demander ce congé de l'Evêque, ni même de son Curé ou Confesseur.* Deindè sic respondet: *Il est certain que le Concile de Trente n'a jamais défendu la Bible, ni requis telle permission pour la lire, ni donné aucune*

commission pour faire telle défense, ou pour en traiter. (Præf. 3. quam Autor præfixit Gallicæ Novi Testamenti versionis, Comitibus generalibus Cleri Gallicani an. 1646. dedicata.)

2°. Nullam obligandi vim habet lex, nisi promulgatione innotuerit: atqui regula Indicis apud nos, multisque in aliis regionibus nunquam promulgata fuit.

3°. In Gallia mos semper invaluit, ut Scriptura sacra in vulgari idiomate legeretur, sine concessa speciali licentia. Rem his verbis asserit idem Theologus: *La loi ou regle de l'index . . . n'a jamais été ni promulguée ni reçue en France: ains y a toujours été, et est rejetée par pratique et coutume contraire, et de bien longues années.* (Ibid.) Unde sic concludit: *Chacun du peuple peut lire la Bible française, d'une version catholique, en France, sans être obligé de demander aucune permission, par aucune loi ou regle ecclésiastique qui y oblige.* (Ibid.) Ita loquebatur an. 1646 egregius ille Theologus, cujus doctrinam approbasse merito censetur Cleri Gallicani conventus, dum permisit ut opus illud ipsi dedicaretur, subque ejus auspiciis in lucem prodiret.

4°. Etiam si Indicis regula primis illis quibus edita est temporibus valuisset, hodie nullus esset roboris: siquidem jam cessarunt rationes propter quas condita fuit. Hæc enim erat potissima, quod tunc variae in lucem prodirent sacrorum Bibliorum in lingua vulgari versiones ab Hæreticis adornatæ. Ii scilicet linguarum originalium scientiâ tumidi, editionem Vulgatam spernebant, purissimum se Dei verbum ex ipsis fontibus hausisse jactabant, Scripturasque sacras, non juxta traditionem et Ecclesiæ judicium, verum ex privato cujusque sensu exponendas esse prædicabant. Suas versiones erroribus infectas in populum spargebant, sicque per urbes et Provincias serpebat hæresis.

Atqui hæc ratio jam locum non habet: non

desunt enim versiones in vernaculo idiomate ecclesiasticis suffragiis munitæ. Quæ autem ab Hæreticis elaboratæ fuerunt, jam apud nos in usu non sunt. Primum suâ novitate populum decipiebant, sincerum Dei verbum, ex ipsissimis haustum fontibus promittendo: cum autem eas erroribus scatere probatum fuerit, neminem alliciunt, imò passim ab iis Catholici abhorrent.

Nullus pariter nunc Hæreticus est, qui perniciosum non detestetur Hæreticorum dogma, quo privatus quisque Scripturarum judex constituitur. Infausta enim docuit experientia, quàm variæ discordesque sectæ inde pallullaverint; ergo, desinentibus causis, propter quas famosa Indicis regula fuit excogitata, vim nullam habet.

DISSERTATIO II.

De Traditione.

TRADITIONIS nomine, intelligitur Doctrina non scripta: non quod nullibi scripta sit: in Conciliorum enim Canonibus, et in SS. Patrum operibus reperitur; sed quia in Libris canonicis non legitur. Triplex distingui solet Traditio, scilicet *divina, apostolica, ecclesiastica*. *Divina*, est verbum Dei non scriptum; sed ab Apostolis, quatenus Verbi divini præconibus, vivâ voce ad posteros usque transmissum; talis est de numero Sacramentorum Traditio. *Apostolica*, est doctrina quam Apostoli ipsi, quatenus Ecclesiæ Pastores, instituerunt, et sine scripto Ecclesiæ commiserunt; hujusmodi est ea quæ jejunii quadragesimalis observationem spectat. Traditio *ecclesiastica*, est doctrina quæ à successoribus Apostolorum, acce-